



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. Vtrùm ad probabilitatem sufficiat unus Doctor?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nem motivam, non quidem in particulari, & quasi in actu exercito, sed in consulo, & veluti in actu signato, sive præsumptam prout supra diximus num. 24. Probatur, quia rustici sequuntur opiniones Sapientum, quatenus præsunt eos habere sufficientia fundamenta investigata, ad ita opinandum; sed hoc est moveri propter rationem in consulo; ergo &c.

41. Hinc est, quod licet non requiratur notitia fundamenti in particulari ad assentiendum, opus tamen esse, ut fundamentum, quo nituntur Sapientes, non apprehendatur ut futile, & improbable; siquidem autoritas in tantum movet, in quantum præsunt niti sufficiente fundamento; ergo si hoc deficiat, jam autoritas non est digna, cui credatur; sique opinio Authorum, licet Sapientum, si rationabili fundamento sit destituta, non erit probabilis, sed indigna fide.

42. Dices: In hoc videtur injuria fieri hominibus Sapientibus; ergo &c. Respondeo negando antecedens; si enim D. Aug. lib. 2. de Ordine, cap. 10. sibi non credebat docenti, & non probanti; quare & nos debemus injuriam reputare non credere Sapientibus istis ita docentibus, & non probantibus? Unde merito P. Sanchez lib. 3. de Matr. d. 44. num. 2. cum Joan. Lup. in cap. Per vestras, de donat. inter vir. & uxor. notab. 3. §. 20. num. 12. dicit non esse credendum Doctoribus, quantumcumque doctrinā polleant, dum carent fundamento.

43. Difficultas 6. Utrum multitudo Doctorum efficiat opinionem probabilem? Multi sunt, qui solum attendunt ad Authorum turbam, quam præcedentem more avium, & arietum instar sequuntur, quos merito reprehendit Navar. & Senec. apud P. Bard. & videtur non approbare P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 9. Dicendum igitur est, quod multitudo Doctorum non efficit probabilitatem formaliter, sed tantum præsumptivè. Ita Navar. in Manual. cap. 27. n. 189. Decius consil. 494. Alexand. lib. 7. consil. 202. num. 6. quos citat, & sequitur P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 13. P. Arriaga d. 24. de Attrib. human. sect. 3. num. 12. & alii.

44. Probatur 1. pars primò ex supra dictis Sect. 1. ubi multorum sententias, ut improbables rejecimus. Probatur secundò, quia si multitudo Authorum sufficeret ad efficiendam probabilitatem formaliter, ubicumque daretur hæc multitudo, daretur formaliter probabilitas; sicut ubi datur ignis, datur etiam formaliter calor; sed hoc est falsum; siquidem videmus hodie multas opiniones reprobatas, quas tamen multi ex antiquis defenderunt; Ecclesia enim Dei quotidie illuminatur, & ut bene Gloss. in cap. Ad nostram. de Consuetudine, verb. Incipientibus, aliquando revelatur minori, quod major nescit, ut probatur ex D. Aug. in cap. Si habes, 24. quest. 3. & ex D. Hieron. in cap. Esto subjectus, dist. 95. ante finem; ergo &c.

45. Probatur tertio, quia sæpè videmus aliquas scholas, quarum Professores jurarunt in verba Magistri, cujus doctrinam defendunt rostris, & unguibus, nullo alio ducti motivo, nisi autoritate docentis; sic enim alii D. Thomæ, alii Scoti, & plerique Nominalium Ochamo adhærescunt; sed horum multitudo tantum valet, quantum valet sola autoritas illius primi Magistri, cui adhærent; ergo multitudo ut sic non dat opinioni probabilitatem formaliter.

46. Probatur 2. pars, nempe quod talis multitudo causet probabilitatem, saltem præsumptam, quia opinio, quamdiu de illius errore non constat, & autoritate Doctorum fundatur, præsuntur pro-

babilis; siquidem credere non debemus, errasse tot Doctores, sed omnia diligenter expendisse, ergo &c. Unde quando opinio est multorum Doctorum, non tenemur regulariter inquirere de illius veritate; nam qui sic operatur secundum dictamen Sapientum, habet efficacem præsumptionem de honestate suæ operationis, & poterit formare conscientiam practicam de honestate actionis, nisi habeat evidentem rationem in partem contrariam. Ita P. Granad. quem cit. & sequitur P. Bard. discept. 4. cap. 2.

SECTIO III.

Virum ad probabilitatem sufficiat unus Doctor?

Dico 1. Autoritas unius Doctoris probi, & docti reddit opinionem probabilem. Ita D. Thom. quodlibet. 3. a. 10. Angel. verb. Opinio, num. 2. Sylvest. ibid. quest. 1. Navar. sum. cap. 17. num. 88. P. Valent. 1. 2. d. 2. quest. 12. punct. 4. quest. 4. P. Sa. verb. dub. n. 3. P. Sanchez lib. 2. decal. cap. 9. num. 7. P. Gil. tract. 7. cap. 11. num. 4. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 1. n. 4. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 16. quest. 6. & cap. 17. quest. 4. P. Arriaga d. 24. de Attrib. human. num. 12. P. Fillii. tract. 21. cap. 4. n. 134. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 6. & alii. Probatur, quia opinio, ut sit probabilis, satis est, quod non levi nitatur fundamento; sed autoritas unius viri probi, & docti non est leve fundamentum; quando enim talis aliquid affirmat contigisse, ut venisse navem ex Indiâ, non est leve fundamentum ad credendum; ergo neque in re morali erit leve fundamentum talis hominis testimonium; ac proinde sufficit ad probabilitatem efficiendam. Confirmatur ex D. Thom. loco cit. ubi docet, posse quempiam amplecti opinionem, quam à Magistro audit, in iis, quæ pertinent ad mores; ergo &c.

Hæc tamen sententia intelligenda est, ut ait P. Gil. cit. num. 5. dummodò omnes alii Doctores non contradicant; alioqui jam autoritas unius non sufficit ad faciendam opinionem probabilem; tunc enim locum habet antiqua illa paræmia dictum unius, dictum nullius: Si tamen, addit idem P. Gil. dictum illud unius solidâ, & efficaci ratione stabilizatur, tunc probabilem reddet opinionem prout supra diximus à num. 34.

Dices: Unius testimonio non creditur per text. in l. Maritus, ff. de question. ergo autoritas unius tantum non efficit probabilitatem. Respondeo concedendo consequentiam, si omnes alii Doctores contradicant, in quo sensu procedit textus, & dictum, sive testimonium illud unius solidâ, & efficaci ratione non fulciatur, ut diximus.

Hinc colliges primò, si in libro alicujus Doctoris Neoterici sint aliquæ propositiones absolute affirmatæ, non esse censendas improbables, licet videantur contra commune Doctorum, sed probabiles, dummodo non levi fundamento nitantur, & aliundè non constet à Sede Apostolicâ improbabiles judicari. Patet, quia ex consilio talis Doctoris verbo tenus prolato potest quis prudenter, & probabiliter operari; ergo à fortiori ex ejusdem consilio typis mandato; siquidem tunc majori circumspeditione profertur, & ab aliis viris doctis approbatur. Confirmatur, quia sic discipulus securè procedit sequens sententiam Magistri pii, & docti, ut tenet Panorm. in cap. Capellanus, de Fetiis. Imola cap.

cap. Per tuas, 2. de Simonia, Villalob. tomo 1. tract. 1. diff. 6. num. 1. Navar. Concil. 2. de Penit. & remiss. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 4. quos citat, & sequitur P. Pal. d. 2. de Conscient. pun. 1. n. 4.

Colliges secundò, non idem dicendum, si opinio sit alicujus Doctoris antiqui; siquidem cum talis opinio, licet suo tempore fuerit probabilis, poterit evenire, cum jam sit antiquata, quod censetur communiter reprobata à Sede Apostolicâ, aut quod habeat contra se legem, aut decretum, quæ ipse scribens non attendit, & quibus Neoterici convicti jam contrarium asserunt; sicque homo rudis, & indoctus ejus dictis adeò fidere non debet. Ita P. Vass. 1. 2. d. 62. cap. 4. num. 17. & 18. Villalob. cit. num. 1. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 10. & 11. Sayr. clavi lib. 1. cap. 5. n. 6. P. Pal. cit. n. 4.

Colliges tertio, ut opinio alicujus Doctoris sit probabilis, non sufficere illam perfunctoriè, & incidenter tractare occasione alicujus argumenti; siquidem quæ ita dicuntur, fortè ad colorem, & non ad probationem dicuntur. Confirmatur, quia sic confessio incidenter, & ad alium finem facta, non præjudicat reo confitenti ex Gloss. in cap. Penitentibus, dist. 50. & Doctorib. in cap. At si Clerici, de judic. in princip. ergo debet resolutoriè tractari.

Colliges quarto, multò minùs sufficere, si solum indice libri contineatur: tum quia indices librorum non magnâ Authorum curâ sunt inspecti: tum etiam, quia sæpè sæpius Authoris non sunt, sed alterius tertii. Si tamen in indice ratio conclusionis apponatur, posse tunc talem opinionem ut probabilem sequi, docet Joan. Sanchez d. 44. num. 69. neque improbat P. Pal. cit. num. 5. siquidem tunc ferè idem est, ac si in corpore libri contineretur.

Colliges quinto, ad faciendam opinionem probabilem non sufficere factum alicujus viri docti, & pii, sive religiosi: tum quia sæpè ad id faciendum moventur, aut ex dispensatione in lege, aut ex aliqua passione, aut ex inadvertentiâ: tum etiam, quia religiosus non semper operatur, quod est honestum: Sufficeret tamen, si id plures religiosi sine scrupulo operarentur. Ita P. Pal. cit. num. 6. Joan. Sanchez, cit. num. 71.

Colliges sexto, indoctos, & rudes, ut forment judicium de probabilitate opinionis, & secundum illam honestè operentur, satis esse, si à viro docto, & prudenti audiant id licere; siquidem non tenentur alios consulere; aliqui in locis, ubi non est, nisi unus Parochus (quem suppono esse virum doctum, & prudentem), numquam tales homines possent suos scrupulos deponere, tenerenturque peregrinari pro eorum resolutione, quod tamen esset gravissimum onus eis imponere. Ita P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 8. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 5. Henrig. quodlib. 4. q. 33. Conrad. P. Arriaga d. 24. de Actib. human. sect. 3. n. 10. & alii.

Dubium tamen est: Utrum eadem probabilitas, quæ sufficit pro rusticis, & indoctis, sufficiat etiam pro doctis, & sapientibus? idest; Utrum sicut rusticus potest acquiescere dicto sui Parochi, quin examinet rationes, aut alios consulat viros doctos, ita etiam homo doctus possit eodem modo acquiescere consilio sui Parochi? Dico 2. Vir doctus absolute loquendo, non potest eodem modo, ac vir rusticus, & indoctus dicto solius Parochi acquiescere. Ita P. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 9. n. 8. P. Bard. cap. 5. Probatur, quia rusticus, cum non possit per se ipsum rationes investigare, in testimonio solius Parochi habet sufficiens fundamentum ad formandum judicium prudens de opere faciendo; sed hoc non habet vir doctus; siquidem per studium potest

veritatem acquirere; ergo tenetur majorem adhibere diligentiam, quam rusticus ut veritatem agnoscat.

Dico 3. Quando Parochus, vel Author opinionis singularis est vir doctus, & prudens, affirmatque se diligenter ponderasse illam opinionem, & rationes illius, potest etiam alius vir doctus fidem illi præstare absque alio examine. Ita videtur sentire P. Sanchez cit. proximè, & tenent P. Arriaga d. 24. de Actibus human. num. 11. P. Granad. & P. Bard. cit. cap. 5. Probatur primò, quia tunc autoritas illius viri non est fundamentum leve; siquidem præsumitur habere rationem maturè excogitatam; ergo potest alius vir doctus tunc illam opinionem sequi sine alio examine; potest enim reputare ex hominis docti, & pii sententiâ reddi opinionem probabilem, secundum quam prudenter operari potest.

Probatur secundò, quia si vir doctus non posset alterius viri docti, & probi opinionem tunc sequi, quin expenderet rationes, & alios viros doctos consuleret, ferè nihil censeretur valere autoritas illius primi viri docti; sed hoc non est admittendum; siquidem opinio illa non leve habet fundamentum in doctrina illius viri docti, & pii ita consuleatis; ergo &c. Confirmatur, quia si P. Soar. doceret (quod non docet, ut falsò asserit Torreblanca apud Leand. tract. 4. de Sacram. d. 1. quæst. 5. contrarium enim docet romo 3. in 3. part. d. 6. sect. 1. §. Dico secundò,) esse obligationem gravem, & necessitate præcepti, sumere Extremam. Unctionem, cum tamen hoc sit contra omnes ferè Doctores, ut videre est apud Leand. cit. adhuc quilibet vir doctus sine aliquo examine posset judicare probabilem talem opinionem auctoritate, & ratione tanti Doctoris fundatam; ergo &c.

SECTIO IV.

Quanam opinio censenda sit probabilior?



IXIMUS jam quanam sit opinio probabilis, seu quid ad probabilitatem efficiendam requiratur: Nunc inquirendum nobis est, quando de unâ, & eadem re sunt duæ opiniones probabiles, quanam ex illis dicenda sit magis probabilis, v.g. opinio probabilis est, quod circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem non sunt necessariò confitendæ: similiter est etiam opinio probabilis, quod sunt necessariò confitendæ, ut videre est apud Dian. part. 1. tract. 7. resol. 1. Ubi pro utraque parte multos adducit, & citat: Quæritur modò unde agnoscendum sit, quanam ex his opinionibus sit dicenda probabilior?

Advertendum est primò, opinionem probabilem dividi in probabilem simpliciter, & probabilem secundum quid, ut tradiderunt Rodrig. tomo 4. sum. cap. 83. num. 1. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica sect. 5. num. 43. & P. Perez dub. 2. notab. 2. cap. 6. Opinio probabilis simpliciter est illa, quæ communiter respectu hominum, qui illius notitiam habent, probabilis habetur; utpote qui illius fundamenta, & rationes congruas agnoscunt: Opinio verò probabilis secundum quid, sive respectu operantis, est illa, cujus fundamentum non est communiter notum, sed soli operanti. Secundò, contingere aliquando, quod opinio simpliciter probabilis, improbabilis sit respectu hujus, aut illius: sicut etiam quæ probabilis est respectu hujus, aut illius, aliquando improbabilis